

consentire non censetur, ut alibi diximus, arg. c. *Qui tacet. de Reg. jur.* in 6.

17. *Non requiritur tamen, ut sit mutua.* — Aliqui requirunt etiam mutuam promissionem, sed Sanchez, loc. cit., n. 20; Palao, loc. cit., n. 4; Pontius, lib. VII, cap. XLV, n. 2; Bosco, loc. cit., concl. 4, cum communi rectius negant, arg. c. *Significasti*, 6. h. t. ubi expressa dicitur, quod « si alter eorum fidem dederit de matrimonio contrahendo, » quæ verba unius promissione verificantur.

18. *Solum homicidium conjugis non causat impedimentum.* — Quæritur II. Quandonam machinatio in mortem conjugis constituat impedimentum criminis? Et quid requiratur ad hoc? Resp. I. Solum homicidium conjugis ab altero conjugis factum, vel machinatio in mortem ipsius non inducit impedimentum criminis, sed tunc solum, quando vel cum homicidio jungitur adulterium; vel quando pari consensu viri et mulieris committitur homicidium conjugis. Circa primam partem, quod solum homicidium conjugis ab altero conjugis, etsi cum animo contrahendi cum alia factum non inducat impedimentum, conveniunt doctores, quod id nullo jure reperitur constitutum.

19. *Et quando concurrat adulterium.* — Secunda pars, quod consurgat impedimentum, quando concurrat adulterium conjugis, patet ex dictis n. 2 et seqq. Solum hic addendum, nihil referre, sive occidens sit vir sive femina, et sive occidatur uxor sive vir, ut cum communi aliorum bene observat Sanchez, lib. VII, disp. 78, n. 8; Abbas, in c. 1, h. t., n. 3; Sylvester, *Matrimonium*, 7, q. 6, dict. 4, contra paucos alios, arg. can. *Si quis vivente*, 5. caus. 31, q. 1, ibi: « Nisi forte vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur, » et c. 1, *Super 3*, et c. *Significasti*, 6. h. t., ubi impedimentum consurgere dicitur, si mulier machinata est in mortem uxoris alterius. Item non refert, sive machinatio in mortem sequatur adulterium, sive antecedat, sicut supra diximus de adulterio. Bosco, loc. cit.; Sanchez, lib. VII, disp. 78, n. 10, quia jura tantum requirunt adulterium cum machinatione in mortem, quod verificatur, sive sequatur, sive antecedat adulterium. Quæ vero aliæ conditiones requirantur ad talem machinationem, ut sit impedimentum, dicitur infra n. 21 et seqq.

20. *Vel quando uterque machinatur in mor-*

*tem conjugis.* — Tertia pars, quod impedimentum consurgat, si etiam sine adulterio vir et mulier communi consilio machinantur in mortem alterutrius conjugis, sive viri sive mulieris, conveniunt doctores arg. c. 1, *de Conversione infidel.* ubi dicitur, « quod Saraceni, qui quarumdam christianarum viros, earum (christianarum uxorum) insidiis, et machinationibus occiderunt, eis, nubere non possint. » Quæ autem aliæ conditiones ad hoc requirantur, et sufficiant, dicitur infra n. seqq.

21. *Ut machinatio concurrans cum adulterio causet impedimentum criminis, requiritur I. Ut alteruter sit causa moralis aut physica mortis.* — Resp. II. Ad hoc, ut machinatio in mortem conjugis concurrans cum adulterio causet impedimentum criminis, præter conditiones ad adulterium a n. 7, requisitas requiritur I. Ut unus conjugum sit vera causa physica aut moralis mortis conjugis innocentis, v. g. præbendo venenum, manus injiciendo, aut mandando, consulendo, regendo, conducendo, ut occidatur; sola enim ratihabitio cædis jam factæ, aut approbatio non sufficit, ut bene docet Sanchez, lib. VII, disp. 78, n. 6; Herin., disp. 6, n. 73; Palao, *de Sponsal.*, disp. 4, pun. 12, n. 4, cum Glossa, in can. *Si quis*, 5. cau. 31, q. 1. *¶. Occidisse*, arg. cit. c. *Si quis*, et c. *Significasti*, 6. h. t. Ratio est, quia ratihabitio non causat mortem, sed jam factam supponit. Nec obstat, quod ratihabitio mandato comparetur c. *Ratihabitionem. de Reg. jur.* in 6, ibi: « Ratihabitionem retrahere, et mandato comparari; non est dubium; » quia hoc intelligitur de his, quæ a sola voluntate ratum habentis dependent, vel in iis, quæ jure disponente, pro mandato reputantur. Non requiritur autem, quod uterque concurrat; sed sufficit, si unus eorum, etiam altero inscio, id faciat; tunc enim si adulterium concurrat, jam consurgit impedimentum, arg. cit. can. *Si quis*, ibi: « Nisi forte vir, aut mulier. » et c. *Significasti*, 6. h. t. ibi: « Nisi alter eorum in mortem fuerit machinatus. »

22. *II. Ut mors ex tali machinatione revera sequatur.* — II. Requiritur, ut mors ex tali machinatione realiter, et in effectu sequatur, ut proin impedimentum non consurgat, si mors non sequatur, quantumvis machinatio sint ad illam, vel intenderit, Sanchez, lib. VII, disp. 8, n. 7, cum Glossa, in c. *Super hoc*, 3, h. t., *¶. Machinata*, ac fere unanimis

aliorum arg. cit. can. *Si quis vivente*, 5. caus. 31, q. 1, ibi: « Nisi occidisse notetur. » Nec obstat, quod c. 1, c. *Super hoc*, 3. c. *Significasti*, 6, h. t., de sola machinatione in mortem fiat mentio. Nam contra est: tum quia verba sumenda sunt cum effectu, arg. c. *Relatum*, 4, de *Archiepiscopis non resident.* præsertim in materia pœnali, arg. c. *Hæc autem verba de Pœnit.* dist. 4. Tum quia in pœnalibus restringere potius, quam extendere debemus, c. *Odia de Reg. jur.* in 6. Insuper doctores communiter, etiam tunc non consurgere impedimentum, si mors sequatur quidem, at non vi machinationis præfatæ, sed ex incuria, aut inscitia medici, vel chirurgi, aut aliunde.

23. *III. Ut machinatio fiat animo contrahendi matrimonium.* — III. Requiritur, ut matrimonium in mortem conjugis ab altero fiat eo fine et animo, quod occiso conjugis innocente, cum alio adultero matrimonium inire velit, adeoque impedimentum non sit, si ex alio fine fiat homicidium, v. g. ut liberius libidini quis vacare queat, etc. Sanchez, lib. VII, disp. 78, n. 13; Gutierrez, cap. cv, n. 16; Bosco, *de Impedim. matrim.*, sect. 8, concl. 5; Pontius, lib. VII, cap. XLV, n. 5, cum communi aliorum, quos sequitur, Rota in *Noviss. decis.* 316, n. 28, contra paucos alios apud Sanchez, loc. cit. arg. c. 1, § Ad hoc. *de Convers. infidel.* et can. *Si quis*, 5. caus. 31, q. 1, ibi: « Occidisse notetur, ut conjungeretur, » ut notat ibidem Glossa. Ratio desumitur ex fine hujus impedimenti, qui fuit, ne unus conjux amore et cupiditate contrahendi cum alio, proprium conjugem occidat.

24. *Ad quod tamen sola sufficit intentio interna, etsi non manifestata externe. Actus internus quando possit, et soleat præcipere Ecclesia.* — Notandum tamen hic, sufficere solam intentionem internam nullo signo externo manifestatam, ut contra Pontium, lib. VII, cap. XLV, n. 4; et Perez, disp. 33, sect. 4, n. 7, insigniter probat Bosco, *de Impedim. matrim.* sect. 8, concl. 5, a n. 193. Ratio est, quia, licet alias Ecclesia non præcipiat actus mere internos, tamen hos indirecte saltem præcipere potest, et solet, quando actus internus est de essentia actus externi, prout est contritio respectu confessionis sacramentalis, vel quando actus internus multum confert ad bonum commune, uti constat ex Clem. 1. *de Statu monach.* ubi excommunicatio fertur in monachum, qui inten-

tione accusandi superiorem se confert ad aulam regiam: quæ intentio utique est actus internus. Similiter præcipiuntur actus interni, Clem. *Multorum. de Hæret. c. Dolentes. de Celebr.* notat ibidem idem Bosco post Sanchez in foro externo semper præsumi machinationem in mortem conjugis factam esse animo ineundi cum alia matrimonium, si mulier et vir alienus communi ope concurrunt ad mortem conjugis innocentis, vel quando præcessit adulterium cum altero conjugis.

25. *Conditiones requisitæ ad criminis impedimentum sine adulterio contrahendum.* — Resp. III. Ad hoc ut machinatio in mortem conjugis sine adulterio causet impedimentum, requiritur I. Ut tam vir, quam mulier contrahere volentes, moraliter vel physice concurrant ad mortem conjugis innocentis, arg. cit. c. 1. *de Convers. infidel.* in quo differt ab impedimento proveniente ex machinatione conjuncta adulterio, juxta dicta n. 21. II. Requiritur, ut mors ex eorum machinatione revera sequatur. III. Ut fiat intentio, quod dein morte secuta velint invicem contrahere matrimonium, prout in secunda et tertia conditione n. 22 et n. 23. posita diximus per jura, rationes, et doctores ibidem allegatos.

26. *Impedimentum criminis contrahunt etiam illi, qui ignorant impedimentum.* — Quæritur III. An criminis impedimentum etiam tunc consurgat, quando adulterantes, et machinantes ignorant, inde oriri inter eos impedimentum? Resp. Affirmative, Gobath, tr. 9, n. 202. Diana, p. 10, tit. 13. Resolut. 51, et consequenter illi omnes, qui universaliter docent, impedimentum dirimens quodvis irritare matrimonium, etsi ignoretur, inter quos sunt Sanchez, lib. VII, disp. 40, n. 7; Perez, disp. 39, sect. 5, n. 3; Coninck, disp. 27, n. 13, dicens, hanc doctrinam certam esse et verissimam, Tannerus, tom. II, disp. 5, q. 5, n. 113, vocans hanc doctrinam certam et communem. Ratio est, tum quia canones statuentes impedimenta, nullibi requirunt notitiam hujus impedimenti. Tum quia alia impedimenta contrahuntur absque notitia, juxta dicta: ergo etiam hoc; cum non sit major ratio de hoc, quam aliis. Accedit praxis et consuetudo (optima legum interpres, c. *Cum dilectus, de Consuetud.*) curiæ tam humanæ, quam aliarum ecclesiasticarum, qua constat, etiam illos, qui ignorantes impedimentum criminis



annexum contraxerunt, indigere dispensatione ad valide contrahendum, de quibus vide etiam Corradum *Prax. dispensat. Apostol.* lib. VIII, cap. ix, n. 7.

27. *Pœna legis incurritur a transgressoribus pœnæ, etsi pœnam appositam ignorent.* — Obijcies: Ignorantia pœnæ ecclesiasticæ excusat a pœna, etsi cæteroquin quis peccet contra legem, arg. c. *Ut animarum. 2, de Constit.* in 6, atqui impedimentum criminis statutum est per modum pœnæ in odium delicti, ergo. Resp. Negando majorem, quia, qui culpabiliter transgreditur legem, incurrit etiam ejusdem pœnam, etsi hanc transgressoribus impositam esse ignoret (exceptis censuris) prout habet communis doctorum, et amplius dicitur infra.

Nec obstat c. *Ut animarum. 2, de Constit.* in 6, quia ibi est quæstio de censura excommunicationis, quæ utique non incurritur sine notitia, hoc ipso, quod requirat contumaciam, quæ sine notitia non datur. Accedit, quod dato, non concesso, ignorantia pœnæ excuset a pœna simpliciter lata, tamen non excusat a pœna inhabilitatem inducente, prout est in proposito impedimentum criminis. Plura de hoc alibi. (ADNOTATIO LXXXI.)

### TITULUS VIII.

#### De conjugio leprosorum.

1. *Ratio ordinis.* — Quandoquidem leprosi a consortio hominum separari solent, matrimonium autem individuam vitæ societatem exigat, merito occasione impedimentorum agitur etiam de matrimonio leprosorum, indagando, an etiam inter hos, et quomodo matrimonium consistere valeat?

2. *Lepra nec impedit, nec dirimit matrimonium.* — Quæritur itaque I. An lepra sit impedimentum matrimonii contrahendi, vel contracti? vel saltem præbeat causam dissolvendi sponsalia? Resp. I. Lepra nec dirimens, nec impediens est impedimentum matrimonii, non tantum, si ambo sunt leprosi, sed etiam, quando unus tantum leprosus est; dummodo inveniatur, qui ei nubere velit. Communis ac certa, textu expresso c. *Quoniam. 2, h. t. ibi:* « Leprosi autem si continere nolint, et aliquam, quæ sibi nu-

bere velit, invenerint, liberam est eis ad matrimonium convolare. »

3. *Nec solvit quoad vinculum matrimonium necdum consummatum.* — Resp. II. Ob lepram supervenientem non potest quoad vinculum solvi matrimonium, sive copula carnali consummatum sit, sive non. Rursus unanimis. Et quidem si matrimonium jam fuit consummatum, patet ex c. 1, § *Quoniam, h. t.* Ratio est, quia tunc matrimonium est indissolubile jure divino *Matth. xix, 6.* Altera pars, quod etiam matrimonium solummodo ratum, et nondum consummatum, per lepram non dirimatur, constat ex c. 2, eod. Et ratio est, quia sola professio religiosa habet virtutem dirimendi matrimonium ratum, nondum consummatum, c. *Veniens. 2, et c. Ex publico. 7, de Convers. conjug.*

4. Nec obstat c. *fin. h. t.* ubi dicitur, quod superveniente lepra in una conjuge, alter ad eam accipiendam cogi non debeat; cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum. Resp. enim, ibi per ly consummatum non intelligi consummationem per copulam carnalem, sed de consummatione per consensum, quo perficitur, seu consummatur matrimonium quoad essentiam, arg. l. *Nuptias. 30, ff. de Reg. jur.* et notant in cit. *fin. c.* doctores communiter, patetque aperte per contextum, utpote qui non erat de matrimonio, sed de sponsalibus, ad quæ perficienda seu executioni mandanda, consequenter ad consummanda per matrimonium nemo cogi potest, si lepra superveniat.

5. *Præbet tamen causam solvendi sponsalia.* — Resp. III. Lepra superveniens sufficientem præbet causam solvendi sponsalia de futuro. Rursus unanimis textu expresso c. *fin. h. t.* et jam dictum est supra.

6. *Non item causam divortii; aut negandi debitum conjugale.* — Quæritur II. An lepra vel alia infirmitas superveniens præbeat causam divortii, et negandi debitum conjugale, ita ut sanus a leproso quoad thorum et cohabitationem se separare, et debitum conjugale negare valeat? Resp. I. Ordinarie loquendo, ob supervenientem lepram sanus conjux a leproso nec separari, nec eidem debitum conjugale negare potest, nisi iudicio medicorum aut peritorum probabile sit periculum gravis infectionis. Ita expresso statutum habetur c. 1 et 2, h. t. ibi: « Quoniam nemini licet (excepta causa fornicatio-

nis) uxorem dimittere; constat, quod sive mulier lepra percussa fuerit, sive alia gravi infirmitate detenta, non est a viro propterea separanda, vel etiam dimittenda. Et infra quod, si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto apostoli, quod exigitur, est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur. »

7. *Nisi iudicio peritorum sit periculum gravis infectionis. Caritas incipit ab ego.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Nisi iudicio medicorum, aut peritorum probabile sit periculum gravis infectionis. » Hoc enim in casu debitum negare, separationem a thoro et cohabitatione petere omnino posset conjux sanus, si non tantum ex debito conjugali, sed etiam ex sola cohabitatione præfatum periculum timendum foret, juxta communem doctorum ut videre est apud Sanchez, lib. VII, disp. 24, n. 17; Barbosa, in c. 2, h. t.; Navarrum, in *Manual.* cap. xvi, n. 25; Engel, h. t.; Pirhing, h. t. n. 10, arg. c. 1, h. t. ubi dicitur « quod, si sani non possint induci, ut conjugaliter cohabitent leprosis conjugibus, cogi non possint, » dummodo uterque altero vivente continentiam servet. Ratio est, quia prudenter præsumi non potest, quod vel ipsi contrahentes obligare se intenderint, vel ipsum matrimonium obliget ad talem usum matrimonii, qui evidenter vergit ad destructionem proprii individui; præsertim cum usus matrimonii sequatur rectum ordinem naturæ, utpote in cuius officium est institutum. Rectus autem ordo naturæ postulat, aut saltem concedit, ut prius consulari incolunitati proprii individui, hoc ipso, quod ordinata charitas incipiat ab ego, arg. can. *Si non licet. 9, cau. 2, q. 5, et c. Dilecto. de Præbend.*

8. *Qui scivit prius, futurum conjugem esse lepra infectum, non potest ob periculum infectionis ei negare debitum.* — Hic tamen notandum cum Sanchez, loc. cit. n. 22; Ledesma, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. n. 4; Bonacina, loc. cit. n. 8, quod, si lepra aut alius morbus etiam contagiosus præcessit matrimonium, et hoc sanus sponsus scivit, non possit negare debitum, nec prætere separationem, etsi adsit periculum similia infectionis. Ratio est, quia per contractum scienter ad hoc se obligavit, et sibi imputare debet, quod talem conjugem acceperit. Accedit, quod si leprosus conjux scivisset, ta-

lem ob lepram, aut aliam infirmitatem, quam ei fideliter detegit, vel non abscondit, sibi negaturum debitum conjugale, forsancum alio contraxisset, prout poterat, arg. c. 2, h. t.

9. *Idem quod de lepra dictum, de aliis infirmitatibus intelligi etiam debet.* — Resp. II. Idem, quod de lepra diximus, etiam de illis infirmitatibus procedit, videlicet quod ob eam sanus ab infirmo nec quoad thorum separari, nec eidem debitum conjugale negare possit, nisi ex eo probabile exurgeret periculum infectionis. Sanchez, loc. cit. n. 18; Bonacina, de *Matrim.* q. 4, pun. 1, n. 8; Ledesma, de *Matrim.* q. 64, a. 1, dub. 2; Barbosa, loc. cit. n. 3, cum communi, arg. c. 2, h. t. ibi: « Vel alia gravi infirmitate detenta. » Idque ob eandem rationem: ubi enim eadem est ratio, eadem est legis dispositio, l. *Ideo. ff. de Legib.*

10. *Qui sine periculo infectionis potest cohabitare, tenetur ad id, etsi debitum sine periculo reddere nequeat.* — Id tamen hic notandum, quod, si solum periculum timendum sit ex debito conjugali, non item ex cohabitatione, ad hanc teneatur sanus, licet debitum reddere non obligetur, quia præter debitum conjugale specialis conjugibus incumbit obligatio ad cohabitandum, arg. c. 2, h. t. cum concordantiis, consequenter, si nulla causa excusans adest, ad eam tenebitur. Et sane sæpe occurret casus infirmitatis, ob quam licebit negare debitum conjugale, non item cohabitationem aut thorum. (ADNOTATIO LXXXII.)

### TITULUS IX.

#### De conjugio servorum.

1. *Ratio continuationis.* — Adductis nonnullis impedimentis matrimonii pergit compilerator canonum in præsentem ad aliud, conditionis nempe impedimentum, de quo in præsentem titulo agitur, simulque statuitur, quid juris de conjugio servorum.

2. *Impedimentum conditionis, quid?* — Quæritur I. Quid sit? et in quo consistat impedimentum conditionis? Item quo jure sit introductum? Resp. I. Impedimentum conditionis est error circa statutum servilem personæ, cui nubit libera persona; et con-